*Ampliſsimis, Conſultiſsimis, & Pruden-*
*tiſsimis Viris*

# Dn. FRIDERICO MEYERO,

Scabinatus Electoralis Lipſiæ Aſſeſſori, & pro tempore, Conſuli regenti digniſsimo.

# Dn. THEODORO MÖSTELIO,

J. U. Doctori, ſupremi Judicij Electoralis Dreſdæ, quod ab Appellationibus nomen habet, Collegæ, itidem Conſuli & ſcabino Electorali meritiſsimo.

*NEC NON*

Dominis Ædilibus, & cęteris Ordinis Senatorij Viris honoratiſsimis, Dominis Patronis & Fautoribns ſuis plurimùm honorandis.

S. P. D.

*INter alia Civitatis Veſtræ Ornamenta nunquam ſatis laudata, Viri Ampliſsimi, Conſultiſsimi ac Prudentiſsimi, non poſtremo loco ponenda eſt Muſica nobilis, quæ cùm Voce tùm Organis in Scholis & Eccleſiis veſtris, mirificum in modum florere ſolet. Cujus itaq; nomine, mente gratâ non immeritò principiò agnoſcenda* Dei *Bonitas, cujus munere cùm choris Muſicis regendis, tùm pulſandis Organis præſunt Viri, melicæ peritiæ laude profectò conſpicui: Non minus commendanda & prædicanda etiam Veſtra ſingularis liberalitas & affectio, qua ut ipſas Muſas communiter proſequimini; ita ſigillatim melicam artem nobiliſsimam neq; in Scholis & Eccleſiis veſtris ſilere, ſed potiùs omnis generis ſuppetiis ipſam juvandam, exornandam & conſervandam cupitis.*